



# The Holy See

---

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

**NIAMEYENSIS\***

In Nigritana Natione constituitur nova Provincia Ecclesiastica Niameyensis, cuius metropolitana  
Ecclesia  
erit Sedes eiusdem nominis.

Cum Ecclesia Catholica in Nigri haud parva incrementa passim suscepisset, ut ipsis Episcopis,  
sacerdotibus, religiosis viris atque mulieribus et Christifidelibus ibi operose adlaborantibus meritae  
tribueretur testimonium laudis eorumque animi incitentur ad novos maioresque in dies exantlandos  
labores necnon ut ipsa Ecclesia firmius constabiliretur, Congregatio pro Gentium Evangelizatione,  
re mature perpensa auditisque pariter eorum, quorum interest, votis, censuit nuper novam  
Provinciam Ecclesiasticam ibidem esse condendam. Nos vero de totius Dominici gregis bono  
solliciti, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate in Nigri constituimus  
novam Provinciam Ecclesiasticam Niameyensem efformatam dioecesi Niameyensi, quam ad  
gradum Archidioecesis Metropolitanae evehimus, et dioecesi Maradensi, quae suffraganea erit.  
Insuper Venerabilem Fratrem Michaëlem Christianum Cartatéguy, S.M.A., Episcopum  
Niameyensem, Archiepiscopum Metropolitam eiusdem nominamus. Quae praescripsimus  
committimus perficienda Venerabili Fratri Vito Rallo, Archiepiscopo titulo Albensi atque Apostolico  
Nuntio in Burkina Fasana et in Nigri, onere imposito sincerum exemplar actus effectae  
exsecutionis memoratae Congregationi mittendi. Hanc denique Constitutionem nunc et in  
posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesima quinta mensis Iunii, anno Domini bis millesimo  
septimo, Pontificatus Nostri septimo.*

THARCISIUS card. BERTONE

*Secretarius Status*

IVAN card. DIAS

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Emmanuel Fernandez, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCIX (2007), n. 9, pp. 785-786

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana